

*Doc. 50 (Robertus etc.
Universis presens privilegium
inspecturis tam presentibus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 50 (Robertus etc.
Universis presens privilegium
inspecturis tam presentibus...)*

1316-03-11

Robertus etc.

Universis presens privilegium inspecturis tam presentibus quam futuris. Officium paterne caritatis ammonet et ratio naturalis inducit, ut liberorum comoda potestas patria studiose promoveat, et ipsorum augmenta cum solerti attendono producat. Sane Carolo primogenito nostro carissimo, duci Calabrie et in regno nostro Sicilie vicario generali, qui nobis unicus efficitur magis carus, ut aptius atque decentius suis opportunitatibus prospicere valeat ex paterne sinceritatis affectu, cui alicuius affectionis integritas non prefertur, terras Lacuspensulis et sancti Gervasii sitas in iustitiariatu Basilicate, que sunt de nostro demanio cum palaciis regalibus hominibus vassallis nemoribus defensis possessionibus vineis olivetis terris cultis et incultis, planis montibus pratis pascuis molendinis aquis aquarumque decursibus tenimentis territoriis aliisque uribus iurisdictionibus et pertinentiis earum omnibus, damus et tradimus ac sibi et suis heredibus utriusque sexus, ex suo corpore legitime descendentibus, imperpetuum ex donacionis causa, concedimus de liberalitate mera et patria caritate, non obstante quod terre prefate sunt de predicto nostro demanio ut prefertur, cum concessio exinde per nos facta dicto nostro primogenito, qui nobis est in eodem Regno Sicilie successurus, alienacio dici non valeat sed refutacio rationabili intellectu, maxime cum dicta palatia sicut accepimus imminenti mine subiaceant, que per ipsum nostrum primogenitum habilis et apcius reparari poterunt quam per nos tantis guerrarum sollicitudinibus occupatos, investientes dictum primogenitum nostrum presentem utique de terris eisdem per nostrum anulum,

quam investituram vim et efficaciam vere traditionis volumus irrefragabiliter obtinere, cum contractus regii vicem legis censeantur habere, et stabilitate perpetua sint mansuri. Reservatis nobis illis solummodo in terris eisdem, que nobis in ipsis tamquam generali domino regni Sicilie maioris dominii competunt ratione. In cuius rei testimonium et cautelam presena privilegium exinde fleri et pendenti sigillo maiestatis nostre iussimus communiri. Actum Neapoli, presentibus venerabilibus patribus Ingirranno capuano archiepiscopo et Francisco episcopo gayetano, domesticis et dilectis consiliariis familiaribus et fdelibus nostris ac pluribus aliis etc.

Datum ibidem per manus Bartholomei de Capua militis logothete et prothonotarii regni Sicilie anno domini MCCCXVI die XI martii XIII ind. regnorum nostrorum anno VII feliciter amen.